

pensanda sunt iudicio et potestate pontificis, cui commissus est populus et animae, quae intra ecclesiam^a congregantur.

Quid sint res ecclesiae. Res¹ ecclesiae, sicut a sanctis patribus traditur et in superioribus capitulis continetur, vota sunt fidelium, praetia peccatorum et patrimonia pauperum. Fideles namque fidei ardore et Christi amore succensi ob animarum suarum remedium et caelestis patriae desiderium suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt ecclesiam, ut his et milites Christi alerentur, ecclesiae exhornarentur, pauperes recrearentur et captivi pro temporum opportunitate redimerentur.

Exemplum gentilis regis Aegypti, qui et sacerdotibus propriam terram adtribuit, eisdem sacerdotibus ex publicis horreis sumptus ministrare curavit. Perpendant etiam christiani reges et recolant historiam^b Genesis, qua^c legitur a Pharaone terra tradita esse sacerdotibus, sed et necessaria cybaria ex horreis publicis prebita. Ita enim legitur, quod invalescente fame in Aegypto emit Ioseph omnem terram Aegypti, vendentibus singulis possessiones suas pre magnitudine famis, subiecitque omnem terram Pharaoni preter terram^d sacerdotum, quae a rege tradita fuerat eis, quibus sufficientia cybaria ex regis prebebantur sumptibus. Si enim rex gentilis et Deum ignorans tantam habuit reverentiam naturalem, ut sacerdotibus proprias³

^a) ecclesia *Hs.* ^b) historia *Hs.* ^c) quae *Hs.* ^d) terra *Hs.*

¹) *Concilium Aquisgranense a. 816 cap. 116, MG. Conc. 2, 398.*
²) *Gen. 47, 13—26.* ³) *Bricht hier ab (Schluß der Lage).*